



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Prima Duo Sæcula Complectens

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 13322648**

§. 29. Doctrina Moralis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

Sæculum II,  
A. C. 134.

## §. XXIX.

*Moralia Valentinianorum.*

Ex tali Doctrina deducebant conclusiones sequentes: Psychici, quales secundum ipsos erant Catholici, scientiæ perfectæ incapaces, non aliter quam fide simplici, & operibus salvari poterant; ipsis solis opera erant ad salutem utilia; ipsis continentia, & Martyrium conveniebant. Secundo, carnales homines, quidquid faciant, non salvabuntur. Tertii generis homines erant spirituales, quales Valentiniani se ipsos, & quidem solos reputabant; ipsi operibus ad salutem non indigebant, cum essent natura boni, & gratia ipsis adeo propria, ut tolli non posset; gratia in eis erat sicut aurum, quod luto non corrumpitur. Hinc sine scrupulo Idolothyti vesebantur; in festis Gentilium, & gladiatorum spectaculis comparebant. Nonnulli sine modo nefanda libidine polluebantur, rationem dantes, reddendum carni, quod carnis est, & spiritui, quod spiritus est. Multæ mulieres, postea ad fidem Catholicam conversæ, se ab ipsis corruptas fassæ sunt. Catholicorum simplicitatem, & ignorantiam ridebant, quod peccata oris, & etiam cogitationis timerent. Super omnia passionem Martyrii damnabant, dicentes stultitiam esse pro Deo mori.

*Christus,*



*Christus, inquebant: semel pro nobis mortuus est, semel occisus est, ne nos occideremur. Si mortem reciprocam petit, nunquid sperat per meam mortem salvari? aut forte Deus sanguinem hominum sinit, qui sanguinem taurorum, & hircorum respuit. Deus magis vult penitentiam peccatoris, quam mortem. Res profecto commiseratione digna! videre, quod Secta omnibus innoxia tam dive habeatur, & tot innocentes sine causa perimantur.*

Sæculum II.

A. C. 134.

Tertull.

Scorp. c. I.

Psal. 49.

Variis modis Novitios suis Mysteriis initiabant; aliqui hujus Sectæ quasi cubiculum nuptiale adornabant, & præscriptis verborum cæremoniis matrimonium celebrabant, dictum ab ipsis spirituale, & ad imitationem Eonum unionis comparatum. Alii, Discipulos ad aquam perductos, baptizabant in nomine Patris omnibus ignoti, & in nomine veritatis, Matris omnium, & in nomine illius, qui in Jesum descenderat; in unione, redemptione, & communionem Potestatum. Alii baptismum aquæ superfluum dicebant, & sufficere credebant, si initiandorum capita mixtione oleo, & aqua spargerentur, & succo balsami ungerentur. Alii rejectis omnibus exterioribus cæremoniis docebant, Mysteria virtutis invisibilis, & ineffabilis expleri non posse creaturis sensibilibus, & corruptibilibus;

G g 2

Redem-



Sæculum II. Redemptionem esse negotium totum  
 A. C. 134. spirituale, & interne per cognitionem  
 perfectam perfici. Valentinus Romam  
 venit sedente S. Pontifice Hygino, ibi-  
 que mansit sub Pontificatu Pii, Aniceti,  
 & usque ad Eleutherii successoris ejus  
 tempora.

## §. XXX.

*Hæretici alii.*

*Iren. I.*  
*c. 34. 35.*

*Epiph. hæc.*  
*37. 38. 39.*

*Iren. I. c. 28.*  
*& 3. c. 4.*

*Cyp. ep. 74.*  
*ad Pompej.*

*Epiph. hæc.*  
*41. Epiph.*

*hæc. 41. apud*  
*Tert. præscr.*  
*51.*

SUCCESSU temporis Hæresis Valentini in  
 multas Sectas abiit, quas inter tres  
 obscuræ quidem famæ nihilominus pro-  
 pter opinionum singularitatem notari  
 merentur. Nempe Sethitæ, qui Sethum  
 peculiari honore colebant, ipsumque esse  
 Jesum Christum arbitrabantur. Cainitæ,  
 qui illos pro viris sanctis, & perfectis ha-  
 bebant, quos Scriptura condemnat, qua-  
 les sunt Cain, Core, Sodomitæ, & Judas  
 proditor. Ophitæ, qui sapientiam, ser-  
 pentem factam esse, asserbant, & pro  
 Jesu Christo serpentem adorabant. Cer-  
 do alius hæreticus etiam Romam venit  
 Hygino Pontifice, ibique diu moratus,  
 jam hæresin suam occulte docebat, jam  
 ad Ecclesiam rediens in speciem pœni-  
 tentiam agebat. In Syria docere cœ-  
 perat, traditiones Simonis Magi, & Sa-  
 turnini secutus. Duo ponebat principia,  
 id est, duos Deos, bonum unum, & ma-  
 lum